

ipsa, juxta *Ciceronem* in *Vibulium* ; nihil quod magis homines ad diligendum alliciat, quippe cum propter virtutem & probitatem eos, quos nunquam videmus, quodammodo diligamus

Hoc est quod movit majores nostros, quò certis legibus & privilegiis constituerent, ut illi, qui præclare in togata militia vicerunt & egregiam operam in optimarum artium studiis posuerunt, non minus iis, qui in castris ac certaminibus Panegyricis strenuè militarunt, honorem tanquam *βραβεῖον τῆς ἀρετῆς* juxta Philosophum consequerentur. Honos enim alit artes, juxta *Tullium*,

— *Laudataque virtus*

*Crescit & immensum gloria calcar habet.*

Quis igitur vestrum erit, Auditores, qui non conatibus nostris applaudat & novis honoribus doctoralibus hoc ipso actu panegyrico presenti nostro Candidato conferendis benè precetur, præsertim cum non tantum honestissimis parentibus natus & ad pietatem atque virtutem educatus, sed etiam exantlatis Philosophici studii laboribus in diversis Academiis per multos annos in omni Medicinæ parte tantos progressus fecerit, ut non solum superioribus septimanis à spectabili tunc tēporis facultatis nostræ Decano, Viro Clarissimo & Excellentissimo Dn, *Iosepho Lautenbachio, Med. D. & Profess. primario*, pie in Christo hesternâ die defuncto, cujus memoria sit in benedictione, nomine Collegii nostri, præmisso tentamine ad publicâ solennē disputationē pro licentia cōsequenda lubens admissus fuerit, sed etiam in respondendo talem sese gesserit, ut P. C. dignum eundem judicarent, qui ad ulteriora tenore legum admitteretur? Quam ob causam subsequenti satis rigoroso examine sine difficultate Decretum facultatis nostræ promeruit, quod interveniente publico reliquorum procerum